





COMMENTATIO IVRIDICA  
DE

IVRIBVS SINGVLARIBVS MILITIBVS QVI  
HONESTAM VEL CAVSARIAM IMPETRA-  
RVNT MISSIONEM PRAESERTIM IN  
SAXONIA COMPETENTIBVS

QVAM  
P R A E S I D E  
C H R I S T I A N O - G O T T L I E B  
H O M M E L I O D.

DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAEC  
PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.

VITEMB. ASSESSORE ORD.

DIE VI. AVGVST. A. O. R. MDCCXC

H. L. Q. S.

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

I O A N N E S C A R O L V S A B R A V S E  
LIEBENWERDENSI S.

V I T E M B E R G A E

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

1790.

2.

6

179



V I R O  
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
WOLF CHRISTOPHORO FRIDERICO  
A FELGENHAVER

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE ET P. T. S. R. I.  
VICARII SANCTIORIS QVOD BELLI NEGOTIA  
CVRAT CONSILII GRAVISSIMO PRAESIDI IN  
EXERCITV ELECTORALI GENERALI MAIORI  
DYNASTAE IN BOEHLA ETC. ETC.

D O M I N O E T P A T R O N O  
S V O O P T I M O M A X I M O

HOC QVALECVNQVE ERVDITIONIS SPECIMEN  
TANQVM VENERATIONIS TESTIMONIVM

D. D. D.

DEVOTISSIMVS CLIENS

A V C T O R.

VERGILII AENEIS  
DODRIO  
MONTICELLO  
A FRANCIS  
RENAISSANCE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO  
MICHAELEM ZWICKLAM MICHAELEM ZWICKLAM  
GAT CONSERVATION TEAM  
CONSERVATION TEAM  
DUSTY WOOD  
SOMIUM TALONI  
OMITTA SA  
TURQUOISE  
CONSERVATION TEAM  
TESTIMONIAL  
HANOVER



§. I.

**I**am oportet quemque bonum patremfamilias rem familiarem diligenter custodire et curare, vt quaelibet patrimonii diminutio auertatur, multo magis principis est, vigilare, vt nemo contra tranquillitatem publicam aliquid suscipiat, eamque ob causam Fridericus II., quondam Borussorum rex, principem la sentinelle de la republique appellare, non dubitauit, vid. eius *Oeuv. posth. Tom. 3. p. 55.* Cum autem, vt Accius apud *Cic. Lib. III. C. 21. de offic.* ait, multi iniqui atque infideles regno, pauci sint boni, et publica ciuium salus absque coactione obtineri nequeat, necesse est, vt ii, qui legibus salutem ciuium concernentibus obtemperare recusant, ad obedientiam vi compellantur, et populus aduersus omnem iniuriam, quam alii forsitan minantur, defendatur. Neque semper prodest, iniuriam illatam obliuisci, sed potius eius vltio quam saepissime necessaria est. Ex quibus facile intelligitur militiae necessitas et utilitas, quam fere ab antiquissimis temporibus gentes cognitam et perspectam habuere. Ideo aliquando imperator Otto, teste *Tacit. histor. L. 1. C. 38.* his verbis milites allocutus est: *Vestra virtus expectatur,*



*apud quos omnne honestis consiliis robur, et sine quibus, quamuis egesta multa, invalida sunt.* Cum igitur principis conditio efflagitet, rempublicam saepe armis tueri, et ut *Cic. Lib. 1. C. 11. de offic. loquitur: bella suscipere, ut sine iniuria in pace vivatur*, statim appetet, principi quoque ius esse, milites legendi, eosque cogendi, qui bona, vitam reliquorum conciumum et vniuersam patriam aduersus consilia hostium sponte defendere nolunt, praesertim, quoniam illi, cui finis competit, media simul competant, necesse est. Interim, ut etiam ciues proprio motu militiae nomen dent, et vt, si aliquando vel ob senectutem, vel ob vulnera accepta, non amplius arma gerere possint, vel si ad tempus solum militiam professi, aut denique sponte renuncient, emolumentis prae reliquis ciaibus fruantur, boni principes stabilierunt. Et iam in praesenti de iuribus singularibus, quibus milites, qui honestam, vel causariam impetrarunt missionem, praesertim ex iure Sax. specimen academicum conscripsi, enixe rogans, ut docti homines, memores sint, hunc non magistri, sed tironis esse libellum.

### §. 2.

Miles nobis est, qui illius auctoritate, cui ius legendi competit, lectus, in album militum relatus est atque iusurandum militibus praescriptum praestitit. Neque prorsus inepta videtur *Vlpiani definitio in L. 42. D. de testam. milit.* qui militem solum dicit eum, qui in numeros relatus est, omissa iurisiurandi mentione. Etenim nisi me omnia fallunt, relatio in numerum coniunctam habebat sacramenti praestationem et ob hanc causam non separatis verbis eius mentionem Vlpianus fecit. Et sacramentum a militibus Romanis exactum fuisse, nos Cicero docet *Lib. 1. C. 11. de offic.* vbi pater Catonis ad Popillium scribit, ut filium, qui, licet missus ex vna legione, in exercitu man-

manserat, secundo eum obligaret militiae sacramento. Ceterum hodie vbique militem absque praefito sacramento non intelligi, probatione fere non indiget, et in Saxonia nostra tirones lecti statim sacramento obstringendi sunt. *General-Ordre d. d. 4. Sept. 1730. Hoffm. C. I. M. p. 324.* Tandem in *L. 44. D. de test. mil.* occurrit singularis militis notio, vbi omnis ille, qui in hostilio deprehenditur et illic decedit, miles vocatur. Sed haec lex solum de testamento militari loquitur, et ideo ad meum scopum non pertinet.

### §. 3.

Cum iam ex inscriptione libelli appareat, me verba facturum esse de militia sagata, silentio fere praetereo ea, quae in iure de togata militia occurrunt, itemque distinctionem inter lectos et mercenarios, quae posterior species ad me solum pertinet. Maritimus et terrestris miles ad paria in dubio iudicantur. Diuisionis militum in primi et inferioris ordinis suis locis rationem habebo. Interim quaquam de missione militum afferam. Missus miles dicitur, qui sacramento solutus est *L. 2. D. de veteran.* Romani olim quidem distinxere inter exauctorationem et missionem, exauctorati teste Berger. *Oec. I. p. 259.* erant, qui per sedecim annos stipendium meruerant et ad militiam adhuc parati erant, sed missi prorsus statim a militia eximebantur. cfr. *Huberi Prael. ad Inst. L. 2. Tit. II. §. 5.* Priores hodie adhuc similes esse illis, qui pecuniam, quam *Wartegeld* vocant, accipiunt, adserit Berger *I. c.* Dispescitur missio in *L. 13. §. 3. D. de re militari in honestam*, quae tempore militiae impleto datur, in causariam, cum quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiae renunciatur, et ignoriosam, cum quis propter delictum sacramento soluitur. Et posterior species in meum censum non venit, quia illi, qui hoc



hoc modo mittuntur, beneficiis missorum priuantur. Atque hic in mentem venit, matrimonia militum cum persona turpi vel leuis macula laborante non tolerari, sed militem, ut eiusmodi sponsam repellat, vel militiae renunciet, cogi. Idem iuris est, quod mirandum, si miles viduam apparitoris ducere cupit. *Ord. d. d. 6. Nov. 1742. H. C. M. p. 957.* Cuius alioquin interest, legere, ex quibusnam causis missio fiat, et quid circa impetrationem obseruandum, adeat *Schmiederi Ius Milit. Sax. Lib. II. cap. 6. et Perill. de Kamienski Disput. de iure militari* §. 16.

#### §. 4.

Restat adhuc monere iura militibus constituta rectius singularia iura, quam priuilegia dici, quae distinctio nec in LL. vid. §. 1. de militar. testam. L. 6. in f. et L. 18. de testam. militis. nec a DD. rite obseruatur. *Berg. Oec. I. pag. 260. Stryk. V. M. D. de testam. milit. §. 1. 2. et 3.* Cum vero beneficia militibus concessa omnibus militibus collata sint, nec probari debeant, nec speciatim impetranda, satis appetet, ea non ad priuilegia proprie sic dicta, sed ad iura singularia potius pertinere.

#### §. 5.

Descendunt iura militum honeste, vel ob causam iustam, missorum singularia, partim ex iure communi, partim a iuribus prouincialibus sunt introducta. Quod ad priora attinet, multa in desuetudinem abierte, et ad hodiernum statum militiae non amplius possunt applicari. Huc in specie referendus est tot. *Tit. de veteranis, quod et testatur Stryk. in V. M. D. L. 49. Tit. de veteran.* Enarrabo interea etiam ea militum iura singularia, e iure communi proficiscentia, quatenus apud nos in patria utilitatem praestant.

#### §. 6.

## §. 6.

Inter caetera, quae militibus data sunt iura singularia, emittet eorum testandi facultas, quae ita solemnitatibus soluta est, ut eorum testamentum, modo constituti sint in conflitu et praeliis, subsistat quacunque ratione L. 15 et 17. C. d. test. mil. Haec Romana dispositio quoque confirmata est per Ord. Notar. d. anno 1512. Tit. von Testamenten §. Und sollen die Notarien. Nec est dubium, quin militis missi testamentum in conflitu conditum valeat, modo missio honesta, vel causaria fuerit L. 26. pr. D. de test. mil. Sic quoque missi militis testamentum in acie factum subsistit per annum, si pro parte testatus pro parte intestatus decesserit, ad tempus heredem instituerit, filium scienter praeterierit. Ex testamento militis enim, ut rescripsit Imperator Alexander in L. 5. C. de test. mil. sive in militia, sive intra annum honeste missus decessit, hereditas et legata omnibus, quibus relata sunt, debentur: quia inter cetera, quae militibus concessa sunt, liberum arbitrium, quibus velint relinquendi supremis iudiciis suis concessum est, nisi lex specialiter eos prohibuerit. De hodierno usu testandi militum cfr. Carpz. Resp. Lib. 6. R. 14. n. 2. et Stryk. V. M. n. L. 49. Tit. 16. §. 3. Nec dubites, velim, pacta etiam successoria militum post missione subfistere, quoniam cum eorum testamentis ad paria iudicantur L. 19. C. de pact.

## §. 7.

Ad specialia filiorum Martis iura quoque referenda constitutio peculio castrensi, idque omne id dicitur, quod filius-familias occasione militiae acquisivit, sive, quod non habuisset, nisi militiam professus. De hoc etiam filius missus tam inter viuos, quam mortis causa libere disponit §. 1. I. quibus non est permisum facere testam. ita, vt etiam, si intra annum decesserit, detractio quartae falcidiae non habeat locum L. 17. §. 1. D. de  
castr.



*castr. pecul.* Habetur vno verbo ratione huius peculii pro patre familias *L. 2. D. ad Sctum Maced.* et ideo, si mutuum contraxerit, ipsi non prodest exceptio Scti Macedoniani, cfr. *Wernh. Obs. for. P. 2. Obs. 474.* Quod autem ad Saxoniam nostram attinet, miles superioris ordinis, licet peculium castrense habeat, missus non tenebitur mutuum, siue cambiale sit, siue chirographarium, soluere, quod durante militia, circa formani Mandati d. d. 15. April. 1783. contraxerit, quia ibidem contractus mutui pro nullo declaratur. Deficit igitur post missionem fundamentum agendi, quia ad tempus contractus respiciendum est, exceptio tamen erit, si miles post missionem contractum ratihabuerit. Notandum denique militem etiam missum rem petere posse utili rei vindicatione, quam eius administrator pro castrensi pecunia emit. *L. 3. D. de Cafr. pecul. L. 8. C. de R. V. Bergeri Oec. Iur. p. 377.*

### §. 8.

Difficilis admodum quaestio videtur, an miles, qui non amplius actu militat, beneficio competentiae gaudeat? Expresso hoc beneficio in *L. 6. et 18. de re iudicat.* militibus tribuitur, quae leges vero militum dimissorum nullam mentionem faciunt. Sed aequitas et ratio LL. praesertim, si miles per aduersam fortunam bonis lapsus, et, vt vult *Stryk. in V. M. D. Lib. 42. Tit. 3. §. 22.* debitum ratione militiae contractum, omnino hic quoque interpretationem extensuam admittit. Primo adiuuat opinionem meani militiae fauor, qui vbique in iure conspicitur. Deinde generalis ratio beneficij competentiae est, ne debitor egeat. *L. 173. D. d. R. I.* Apud nos serenissimus legislator hic quoque respexitse videtur, dum in *Mand. d. d. 25. Martii 1782* huic legi praemittit hanc rationem: — *wasmaßen Wir es dem gemeinen Besten und Billigkeit gemäß erachten,*

¶

achten, daß denenjenigen, die der allen Landes Unterthanen obliegenden Schuldigkeit sich zur Sicherheit und zum Schutze des Landes in Unsern Kriegsdiensten gebrauchen zu lassen, vor andern ein Genüge zu leisten, auch vor andern besondere Vortheile angedeihen. — Accedit militi missio et per vulnera forsan ita corrupto, vt amplius sibi alimenta comparare nequeat, multo magis beneficium conferendum esse, quam illi, qui actu in militia verfatur et sustentationem a principe accipit. Corroboratur postremo haec sententia per L. 56. D. d. R. I. vbi Caius: Semper in dubiis benigniora praferenda sunt.

### §. 9.

A suscipienda tutela vel cura porro excusatur miles, cuius missio causaria vel honesta est, et quidem ex praescripto L. 8. §. 3. D. de excus. ii, qui non per viginti annos militauere, ad tempus solum immunitate fruuntur. Sed hanc Romanam sanctionem hodie in praxi vsu non obseruamus, et multo minus eam ad eiusmodi homines, qui ad tempus solum militiae se adscribi patiuntur, applicari posse, mihi persuadeo. Evidem tamen non nego, hodie etiam militem missum, qui ob aegritudinem, numerum liberorum, vel aliam excusationem communem, licet per breve tempus solum militiam professus, a susceppta tutela esse eximendum. Videſis L. 8. pr. D. de excus. Tandem veterani ex l. c. a tutela liberorum eorum, qui milites non fuere, excusantur, sed tutelam aliorum veteranorum, si adhuc habiles sint, post annum fuscipere tenentur. Sed tempus viginti annorum, quo miles veteranus censetur, et etiam annus immunitatis hodie non attendi, sed potius arbitrio iudicis relinquendum esse, monet Stryk in V. M. D. de excus. §. 4. Silentio praetermitto, militi ignorantiam iuris ciuilis non nocere, per sanctionem L. 9. §. 1. D. de iur. et facti ignor.

B 2

quia



quia milites missi facilius, ac illi, qui castra sequuntur, peritiores consulere possunt, nec amplius curam armorum habent, et ob hanc rationem beneficium *legis 25. §. 1. D. de prob. militi dimisso parum prodesse censeo.*

§. 10.

Ipsis porro, qui in castris militant, proprium forum adsignatum est, ita, ut si miles a magistratu ciuili citatus, ne opus quidem habeat, ut se sistat et exceptionem fori incompetentis opponat. *Ludouici Introduc. in Proc. militar. cap. 2. §. 1 et 2.* Immo hodie miles, qui sine praefectu sui praefecti coram iudice ciuili comparet, admonitione coeretur. Quodsi vero milites missionem impertrauerit, forum militare statim cessat. *Ludouici l. c. §. 26.* idque etiam apud nos confirmatum est per *Norman. iudicij militar. de anno 1789. cap. 2. §. 4.* vi cuius etiam nil interest, vtrum miles missus pensionem annuam accipiat, nec ne. Habentur interea milites superioris ordinis, eorumque vxores et liberi pro Schriftsaffiis, iis tamen exceptis, qui peregrina castra fecuti, quippe qui, licet primi ordinis sint, magistratus iurisdictioni, vbi lares ponant, subsunt; *N. I. M. l. c. §. 5.* et ratione horum pro Schriftsaffiis habendorum Praefecti et Senatus Oppidani, vbi commorantur, gaudent commissione perpetua. *N. I. M. loc. cit. §. 6.* Ast ob delictum militare, vel si lis coram iudicio militari, ante missionem impertramat, pendens fuerit, forum priuilegiatum miles agnoscere tenetur. *N. I. M. l. c. §. 4 et 11.* quod etiam iuris communis est. *L. 7. et 30. D. de iudicis.* Quoad milites gregarios notes, eos, eorumque vxores et liberos subesse iurisdictioni illius iudicis, vbi commorantur. *Ordonanz. d. anno 1752. §. 13. apud Hoffmann. in C. I. M. p. 555.* Neque miles missus in causis matrimonialibus consistorio supremo subesse videtur, cum leges,

leges, quas hac de re Hoffmannus in C. I. M. p. 963. exhibet,  
de iis tantum, qui actu militant, disponant.

§. 11.

Ornantur saepius quoque milites superioris ordinis, non  
actu solum militantes, sed etiam qui ob aetatem vel aduersam  
valetudinem mittuntur, signis honoris, quae vulgo *Orden*  
vocantur. Ob bene merita iis, qui mittuntur, saepe maior di-  
gnitas conferitur. *Schmiederi ius militare Sax.* L. 2. Sect. 6. §. 1.  
Vestitu militari, aliisque ornamentiis militaribus vti saepius per-  
mittitur, quod tamen iis, qui ob delictum officio priuantur,  
interdictum est. *Rescr. d. d. 10 August. 1737. Hoffm. C. I. M. p.*  
*1273.* Admittuntur quoque ad munera ciuilia. vid. *Ordre d.*  
*d. 30 Maii 1777. et d. d. 18 August. eiusd. anni.*

§. 12.

Solent quoque superiores milites in baptismo liberorum  
pluribus, quam tribus vti patrinis, qui usus etiam in Rescri-  
pto, quod videndum in *Carpzouii iuri spr. eccl. L. 2. Def. 42.*  
approbatur. Nec interest, vtrum miles eminentioris dignita-  
tis, sit nobilis, an ciuici ordinis. Ecce verba rescripti — *We-*  
*gen der Gevattern* — *ist billig ein Unterschied zwischen denen von*  
*Adel und Befehlshabern und zwischen denen gemeinen Soldaten zu*  
*halten.* — Nec immerito idem militibus missis licere, statuunt  
DD. quos allegavit *Ill. Praeses in Princip. iur. eccl. Cap. 7. §. 25.*  
quoniam ii, qui militiae praesunt, plerumque nobilitate sunt  
condecorati, et reliqui ignobiles, si eiusmodi officio fungun-  
tur, nobilibus aequiparantur, quod non solum *Carpz. l. c.* do-  
cet, sed etiam innuita verba rescripti ab eo allegati; nobilibus  
vero, qui etiam militiae nomen non dedere, plures quam tres  
patrinos rogare, disertis verbis permisum est in *Ord. Pol. de*



anno 1661. Tit. 17. §. 4. Haec omnia vero ad milites gregarios non posse extendi, adserit Ill. Praeses l.c.

§. 13.

Singulare quoddam gratiae specimen nostri Serenissimi Electoris exhibet *Mand. d. 25 Maii de an. 1782.* vbi, milites inferioris ordinis missi in remunerationem praefitorum seruitorum, siue sint subditi, siue extranei, eximiis beneficiis et immunitatibus ornantur. Atque huius loci esse credo speciatim haec emolumenta, quae certe maxima sunt, enarrare. Primum omnes, qui per nouem annos militiam coluerunt, a capitulatione per omnem vitam, etiamsi postea bona rustica, vel domos possideant, vel quoconque modo victum sibi parent, immunes declarantur. Praeterea illi, qui testimonium, quod *ein Freyschein* dicitur, acceperunt, idque in iudicio loci, vbi sunt, produxere, modo bonis immobilibus destituti, a praestationibus personalibus eximuntur, nec ad operas praestandas, quae alias ab incolis exiguntur, cogi possunt. Interim miles sanus, qui tempore missionis nondum egressus fuit annum trigesimum quartum, vel intra annum certum alendi modum non inuenit, licet nouem vel duodecim annos arma tulerit, ad militiam subeundam denuo potest cogi, quod simul testimonio inferendum est. *Declarat. d. 12. Nouembr. 1784.* Quod etiam iuris est ratione eorum, qui vi pacti ad breue tempus tantum militauerunt. vid. *Erläuterungs-Puncte des unterm 30 Nov. 1780 erlassenen Generalis und Reglements die Werbung betreffend, d. d. 28 Jun. 1783.* Neque opificium, quod miles olim addidicit, exercere prohibetur, ita tamen, vt nec adiutore, nec tirone vtatur. Hinc colligendum, tironi id tempus, quo forsitan institutione militis, ceu magistri, vslus, non prodesse, si deinde vti velit institutione illius magistri, qui collegio opificium adscriptus est. Porro simul exinde liquet, collegium officiarium,

ficiarium, quod militi missio, instrumenta ad exercitium artis  
 pertinentia, ausfert, aut eum aliis modis turbat, iniuriarum te-  
 neri. Quod reliquum, oportet vniuersitatem opificum militi,  
 modo alias habilis sit et per duodecim annos militiam colue-  
 rit, iura magistri gratis tribuere, siquidem ipse etiam inter ci-  
 ues oppidanos sine sportulis recipiendus est. Sed quaeritur,  
 vtrum miles ad specimina docimastica conscienda teneatur?  
 Negat hoc *Perill. a Kamienski in Disp. supra alleg. §. 18.* et *Schmie-  
 der in Iur. Milit. Sax. Lib. II. cap. 7. §. 4.* Sed ni fallor LL.,  
 quibus hi nituntur, sunt abrogatae per *Mand. d. an. 1782. pr.* —  
*dergeſtalt, daß alle Beziehung auf die hieher gehörigen ältern Geſetze  
 weiter nicht statt finden soll* — Comprobatur etiam mea opinio  
 vſu et experientia. Sic collegium lutorum Vitebergense ante  
 quadriennium militem missum, qui fere per quatuordecim an-  
 nos militiae interfuerat, non, nisi edito specimine consueto, re-  
 cepit. Nemo enim, vt hodie inter opifices consuetudo fert,  
 tironem instruere potest, nisi se ipsum arte satis peritum esse,  
 demonstrauerit. Solent vero opificum collegia, vitia, quae  
 in eiusmodi militum speciminiis occurrunt, facile condonare,  
 quia his, durante militia, saepius occasio, artem, quam aliquan-  
 do didicerunt, excolendi, defuit. Et licet alias, vt, qui iura  
 magistri opificis impetrare cupiunt, per tempus quoddam in-  
 ter peregrinos versati sint, requiratur, tamen hoc, ratione mi-  
 litis missi, collegia prorsus negligunt. Promissa quoque ipsis  
 sunt ciuilia munera, eamque ob rationem eos, tanquam visita-  
 tores accisarum, custodes vectigalium, scultetus paganos etc.  
 videmus.

§. 14.

Deinde non tantum, qui actu militat, sed etiam qui per  
 duodecim annos interfuit militiae et missionem consecutus est,  
 a praefesta gabella liberatur, et ideo per *Mand. cit. de an. 1782.*

§. 7.



§. 7. derogatur, Sanctionibus d. d. 29 Sept. de ann. 1781. et Decis. Sax. reg. 6. de an. 1746. Etiam si vero Serenissimus legislator §. 9. Mand. cit. extraneos, qui Saxonicae militiae nomen dederunt, cum subditis ad paria iudicari velit, tamen certum est, eum militem, qui post missione in peregrino territorio domicilium constituit et postea e terris Saxonis hereditatem fibi nunc delatam, transferre cupit, ad praestandam gabellam teneri, si ibidem, vbi habitat, ea etiam a subditis Saxonis exigatur. Ceteroquin censum emigrationis a milite quoque semper iure retorsionis peti posse, expediti iuris est. Arg. Dec. Sax. R. 6.

### §. 15.

Praeterea ex saepius laudato Mandato de anno 1782. §. 8. qui per feruitia militaria mutilationem membrorum passi, vel alio modo inhabiles facti, perpetua accipiunt alimenta ex aero, quod *Invaliden-Café* vocatur, reliquisque commodis fruuntur, licet per tempus legitimum non militauerint. Incidit hic quaestio, vtrum anni, quos Mand. cit. nominat, ciuiles sint, an Saxonici? ciuiles esse respondeo, quoniam consuetudinis est, annos militiae ciuiliter computare. Porro omnes, qui in addiscendo opificio, non legitimum adimpleuerunt tempus, et militiae se adscribi passi sunt, sive adhuc milites existant, sive non, collegia opificum gratis, si efflagitent, socios creare iubentur. Postremo memoratae exemptiones et beneficia personalia iura tantum esse, eaque ad viduas et liberos non extendi, disertis verbis edocet Mand. cit. in §. fin. Notandum adhuc liberos pauperum militum, quod sine dubio etiam de missorum liberis intelligendum, in instituto Annaburgensi educari. Schmieder. Iur. Milit. Sax. Lib. II. cap. 7. §. 9.

### §. 16.

## §. 16.

Coronidis loco pauca etiam de iuribus stolae, quatenus a militibus praestentur, dicamus: Detrectabant olim milites, clericis interdum iura stolae praestare, forsitan ex ratione, quia a multis aliis praestationibus exempti et quasi immunitatibus adfueri sunt. Sed tota lis finita est per normam Sax. El. d. an. 1785, quae inscribitur: *Regulativ, wornach die iura stolae von Militair-Personen, deren Eheweibern, Kindern und resp. Dienstbothen in denen sämmtlich Churfürstl. Sächsl. Landen hinführō entrichtet werden sollen.* Haec lex non solum, vt militibus minus, quam ab aliis exigatur, praecipit, sed etiam varia singularia constituit. Si quidem non opus est, vt testimonium integratatis, militi, antequam clericus ad proclamationem procedit, exhibendum, in chartam signatam scribatur, nisi expresse petitum. *Regul. cit. I. n. 3.* Quodsi miles mortuus militari modo sepeliatur, clericis prorsus nihil debetur, merces tamen pro conficiendo sepulchro soluenda est. E contrario quando miles sepulturam inter alios ciues vfitatam accepit, a praestatione sumtuum funebrium non datur immunitas. *Regul. cit. III. n. 1 et 2. seqq.* Eodem modo iam olim JCTi distinxere. cfr. *Ill. Praef. I. Eccl. Cap. 15. §. 34.* Pro sepultura vxoris, famulitii et liberorum, quos militum more sepelire, nefas est, clericis iura stolae praestanda sunt. *Regul. I. c. n. 8.* Qui denique pauperes sunt, atque paupertatem per testimonia praefectorum demonstrarunt, gratis sepeliendi sunt. Quae adhuc enarrauit quoque ad cohortem Waldheimensem, Barbiensem, atque Islebiensem pertinent *Regul. IV. n. 1.* Contra, qui immobilia, vbi cohors versatur, vel alibi possident, ibidemque auctibus ecclesiasticis vtuntur, porro mortuorum viduae vel liberi atque qui dimisi, fruantur pensione militari, nec ne, pro parochianis habentur, et igitur iura stolae, non secundum normam allegantam,

C

tam,



tam, sed secundum consuetudinem loci, vbi sunt, soluere co-guntur. *Regul. cit. IV. n. 2.* quod vero de iis non intelligendum, qui actu in militia veritantur, et tamen opificium exer-cent. Sed forte regeris militibus, opificium, quod addidi-  
cerunt, exercere, esse interdictum, *Ordonanz d. an. 1752. §. 93.*  
*Hoffm. C. I. M. p. 490.* et igitur dispositionem antea laudatam  
non posse applicari. Sed facile hoc dubium amouere pot-  
eris. Est enim militibus permisum, officinae magistri opi-  
ficiis interesse, et qua socius eum adiuuare; praeterea militi  
pro cohorte et pro commilitonibus superioris ordinis, ea,  
quae ad suam artem pertinent, facere licet. *Hoffm. C. I. M.*  
*p. 581.* Atque de his personis illam dispositionem accipien-  
dam esse, nemo non videbit.



Wittenberg 1 Diss. 1790

f

ULB Halle  
003 769 283

3



sb.



**Farbkarte #13**



**B.I.G.**

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

IVRIBVS SINGVLARIBVS MILITIBVS QVI  
HONESTAM VEL CAVSARIAM IMPETRA.  
RVNT MISSIONEM PRAESERTIM IN  
SAXONIA COMPETENTIBVS

Q V A M

P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTLIEB  
H O M M E L I O D.

DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIAЕ  
PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID.

VITEMB. ASSESSORE ORD.

DIE VI. AVGUST. A. O. R. MDCCXC

H. L. Q. S.

DEFENSVRVS EST

AVCTOR

IOANNES CAROLVS A BRAVSE  
LIEBENWERDENSIS.

VITEMBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.